# HORROREM VT SIGNVM

AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO

GRADV DOCTORIS

DISPVTAT

M. IOANNES CAROLVS GEHLER

GORLICIO LVSATVS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE D. V. MAII CIↃIↃCCLVIII.

EX OFFICINA LANGENHEMIA.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
S. R. I. COM. A REX
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS
POLONIARVM ET PRINCIPIS ELECTORIS
SAXONIAE STATVS MINISTRO ET CONSILIARIO
INTIMO ORDINIS S. ANDREAE
EQVITI REL.

DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO

HOC

QVALECVNQVE SPECIMEN ACADEMICVM

SVBMISSE

D. D. D.

AVCTOR.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

# HORRORE VT SIGNO.

---

§. I.

*Introitus.*



Animo in theoreticis ſcholis ad faciendam medicinam, quantum pro ingenii viribus licuit, praeparato, iam inde ab aliquot annis in exercenda praxi clinica, duce Magniſ. LVDWIGIO, Patrono ac Praeceptore ſummo cultu deuenerando, ea ex ipſa naturae humanae contemplatione detegere allaboraui, quae tradita mihi fuere a Cel. artis medicae Profeſſoribus, omni pietate mihi colendis. Cum quoque, proh dolor, acciderit, vt cariſſima patria, Lipſia praeſertim noſtra, non armorum ſolum ſtrepitu, ſed et, quod triſtius adhuc videri poteſt, morbo quodam malignioris indolis perterreretur,

 huius

huius etiam atrocissimi morbi naturam, ex signis effectibusue cognoscendam, qua fieri potuit, industria disquirere tentaui, vt forte normam acquirere possem, ad quam componerem ea, quae in commodum aegrorum cedere putarem. Anxius igitur, vt tironi medico solemne est, tremensque adii doctissimorum virorum scripta, ex quibus colligere animus erat, quae mihi et in curando morbo, et potissimum in praesagiendis euentibus futuris, vsum praestarent vberrimum. Multum enim splendorem ornamentumque afferre medicis, et ad faciendam medicinam esse scitu necessariam eam medicinae partem, quae, quo modo de aegrotantium salute ac morte praedicendum fit, explicet, nemo facile negabit. Attamen in hoc signorum scrutinio varia se sub ipso morbi epidemici decursu offerebant, quae cum citra opinionem euenirent, multum et exercitatis practicis in declarandis phaenomenis eligendaque vera indicatione facessebant negotii. Inter quos etiam euentus numerari debet purpura vesicularis alba, non modo iusto tardius, sed et sine vllo horroris sensu, quem auctores vt pathognomonicum huius exanthematis signum assumunt, erumpens. Non permittunt vires, omnem hic fuse enarrare febris nostrae historiam, quam dedit iam breuibus Cel. LANGGVTH,[a]) et quam forsan alii, in obseruandis morborum momentis magis versati, suscipient; sed modo dictum phaenomenon mihi, de specimine inaugurali sollicito, ansam praebuit, conquirendi de horrore ea, quae ad morborum naturam ex iis declarandam quicquam facerent. Tractatum quidem saepius a medicis [b]) hoc argumen-

a) De cortice peruuiano medicina aduersus febrem adhuc populariter grassantem praestantissima. Progr. Witteberg. 1758. 4.

b) Inter alia Cel. Auctorum de horrore scripta legi merentur. Excell. WALTHERI diss. de frigore et febris intermittentis accessione. Lips.

mentum bene ſcio, nec tamen ſatis tractandum eſſe videtur ac examinandum, cum adeo in ſuis variare ſoleat indiciis. Tantum tamen mihi non ſumo, vt quicquam me proferre poſſe cenſeam, quod exercitatis medicis conſummatisque practicis vtile eſſe poſſit: vehementer autem laetabor, ſi ea, quae tironum in arte medica gratia tiro conſcripſi, iis nec prorſus diſpliceant, nec ſuperflue dicta videantur, meque eorum aequo iudicio incitatum iri polliceor, ad vlterius perficienda ea, quae hic tenuiter diſputabuntur.

## §. II.

*Febris natura.*

De febris ſymptomate mihi quaedam prolaturo haud ineptum aut incongruum videtur, ſi prius pauca de ipſius febris natura adtulero, vt eo facilius intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur. Sed magnum aggredior opus, qui febris eſſentiam rite explicare ac definire ſuſcipiam. Quamuis enim frequentiſſimus omnium eſt morbus, adeo, vt vix quisquam ex cauſa interna diem obire credatur, niſi febris acceſſerit, tam abſconditae tamen et abditae naturae deprehenditur, vt ſapientiſſimum quemuis medicum febris eſſentiam ignorare, et certi quid ac veri de ea vix in medium proferre poſſe affirmet magnus ille magni BOERHAAVII Commentator. [c]) Mire variat hic morbus et in cauſa proxima, et in ſymptomatum

Lipſ. 1740. Cel. HAMBERGERI Diſſ. de frigore ſymptomatico. Ienae 1752. CHRISTOPHORI GVILIELMI DE BERGER Comment. med. de Praeſagiis ex algore in febribus acutis. Goetting. 1750. 4.

c) Vid. GERARDI van SWIETEN Commentar. in Aphor. BOERHAAVII de cognoſcendis et curandis morbis. Tom. II. §. 559. pag. 4. Lugd. Bat. 1745.

tum diuersitate ac multitudine, ita, vt vix eodem morbo dixeris laborare eum, qui validissimo intermittentis paroxysmo excruciatur, et eum, qui causo aut continente febri afficitur. Quae [d]) enim passim occurrunt in vno febrium genere, quibus praesentiam suam prodit, vix in alio conspiciuntur. Nec et in effectu sibi similia deprehenduntur nostri morbi genera, cum mox aliorum morborum sint tutissimum remedium, [e]) mox vacillantem restaurent valetudinem, mox in sanitatem, mox vero in mortem terminentur. Magnus igitur omnino erit Apollo, qui ex tanta rerum varietate detegat ea, quae veram indolem ac naturam spectent. Nec mirum ideo videtur, quid sit, quod celeberrimi medicorum in definienda febris essentia ita a se inuicem differant, totque diuersas foueant sententias. Consentire tamen quodam modo mihi videntur in eo, quod calorem praeter naturam intensum, febrem appellitent. Iam enim veteres tantum non omnes HIPPOCRATES, [f]) GALENVS, [g]) reliquique et Graeci et Ara-

d) IOHANNIS de GORTER Medicinae Compendium. Lugd. Batau. 4to 1731. p. 266.

e) AVR. CORN. CELSVS de medicina Lib. II. c. 8. Edit. Almelou. 1687. 12mo. Nitide expressa sunt, quae de hac re proposuit Excell. HEBENSTREIT, Praeceptor, cuius cineres mihi semper colendi erunt, in Pathol. metrica. §. XIII.

Vos (febres) equidem perhibent superatas ferre salutem,  
Vos aiunt e visceribus depellere sordes,  
Corporis, et faciles, postquam deferbuit aestus,  
Sanguinis esse vias.

f) πῦρ s. ignem vocat HIPPOCRATES febrem, quasi esset eiusdem ac ignis substantiae. vid. FOESIVS in oeconomia HIPP. Frf. 1588. fol. pag. 545.

g) In Comment. ad Text. XXIX. HIPPOCRATIS Epidem. Lib. VI. Edit. Charteriana Tom. IX. p. 382. Ὀυσία, inquit, πυρετῶν ἐςὶ, ἡ παρὰ φύσιν θερμασία; μάλιςα μεν εἰς ὅλον ἐκτεταμένη τὸ ζῶον. Plura loca huc referenda adfert GORRAEVS in Defin. med. Frf. 1578. fol. p. 397.

Arabes et Latini calidum natiuum in ignem mutatum pro vera habent febris notione. De qua quidem definitione vix recedere videntur noſtri aeui celeberrimi medici, qui, cum huic veterum ſententiae repugnare putarent calorem ſaepius ſine febre auctum, febrem algidam, febresque intermittentes, a quarum initio omnis fere calor abeſt, aptius febrem dici contendunt auctiorem atque vehementiorem ſanguinis circuitum, et inde etiam, vt iam a veteribus[h]) factum fuit, eam cordis morbum nominant.[i]) Quod tamen, vt pace tantorum virorum fiat, tantum in eo a priſcorum mente differre videtur, quod cauſam pro effectu ponant. Maximus autem diſſenſus in vera determinanda huius caloris ſiue celerioris ſanguinis motus cauſa formali, quam alii, vt breuibus adferam, in Archaei cuiusdam iracundia, vt HELMONTIVS,[k]) alii in ebullitione ſeu fermentatione ſanguinis, vt WILLISIVS[l]) ac SYLVIVS,[m]) alii in ſolidorum ſpaſmo, vt Cel. FRID. HOFFMANNVS,[n])alii denique in humorum lentore, vel inde facta minimorum vaſorum obſtructione, alii, vt Magnif. LVDWIGIVS,[o]) in ſolidis ac fluidis ſimul vitiatis poſitam eſſe contenderunt. Quae tantum hic

h) GALENVS de differentia febrium. Lib. I. cap. 3. edit. Chart. Tom. VII. p. 109. AVICENNA lib. IV. fen. I. Tr. I. cap. I.

i) OOSTERDYCK SCHACHT, Inſtitutiones medicinae practicae Traiecti ad Rhenum 1747. p. 6. §. XIV. et van SWIETEN Tom. II. §. 573. p. 17.

k) IOANNIS BAPTISTAE van HELMONT, Febrium doctrina inaudita. Amſt. 1548. p. 8. §. 29.

l) THOMAE WILLISII Opera omnia. Amſtel. 1682. 4. de febribus p. 45. ſeqq.

m) FRANCISCI DE LEBOE SYLVII Opera medica. 4to Amſt. 1679. p. 47. ſeqq.

n) Diſſert. de vera febrium geneſi Halae 1715. it. de febrium ſalubritate 1720. 4.

o) Vid. Eius Inſtitutiones pathologiae. Lipſ. 1754. p. 77. §. 1088.

hic allegasse sufficiat, cum nec viribus meis, nec huic loco aptum sit harum opinionum vel falsitatem et insufficientiam demonstrare, vel certitudinem vlterius euincere multisque comprobare. Id tamen operae pretium videtur, vt, cum tecta adeo et abscondita febris deprehendatur essentia, tantum cogitemus de vero ac pathognomonico signo, quo de vera febris praesentia, cuiuscunque demum sit generis, certus esse possit medicus.

## §. III.

*Febris praecipua symptomata.*

Ingens omnino, quo febris stipatur, symptomatum numerus, maximam erroris, in eligendo pathognomonico signo, ansam suppeditare poterit. Quis enim est, qui, quamuis artis nostrae prorsus sit ignarus, nesciat, febricitantibus molesta esse, frigus, calorem, sudorem, sitim, lassitudinem, virium prostrationem, nauseam, vomitum, dolores capitis, dorsi aliarumque partium rheumaticos, oscitationem, pandiculationem, deliria, diarrhoeam, respirationem anhelosam, praecordiorum anxietatem, agrypniam, innumeraque alia, ita, vt vix vlla in corpore peragatur functio, quae non laesa deprehendatur eo tempore, quo febris aegrum excruciat. Quam quidem symptomatum cateruam pro febre assumit vulgus; cum tamen multa eorum sint, sine quibus febris esse possit, ea tantum eligat, necesse est, medicus, quae omnem febrim comitentur, et his ad signum pathognomonicum, vel et ad ipsam morbi naturam declarandam vtatur. In quo negotio rite perficiundo summa omnino erit adhibenda, vt praecipit Cel. BOERHAAVIVS, p) attentio. Variant enim mirum in modum

p) Vid. Eius Aphorismi de cognoscendis et curandis morbis Lugd. Bat. 1728. 8. §. 559.

dum haec ſymptomata, vt in errorem abduxerint multos, qui ex quibusdam eorum tectam febris naturam detegere ſtuduerunt. Sunt nimirum alia eorum, quibusdam tantum febrium ſpeciebus communia, alia, quamuis in omni febri adſint, tamen non in omni febris tempore aegrum vexant. Mittamus igitur in eliciendo ſigno pathognomonico ea prioris indolis et ad illa reſpiciamus, quae in omni obſeruari ſolent febri. Cuius quidem generis tria potiſſimum Auctores fere omnes aſſumunt, quae tamen pro ipſius febris, vel et pro corporis, quod afficitur, indole tam in vehementia, quam in diuturnitate diuerſa videntur. Inuadente enim febre quatiuntur a ſtrictura et dureſcunt artus ac tegumenta, ſanguis in minimis ſtagnat, hinc horror, tremor, frigus. Ex hac, quam praeſtat lenteſcens ſanguis cordi, reſiſtentia, velocior eius fit contractio, quae tandem, ſi obicem remouerit, calorem per totum corpus, plus minus exaeſtuantem, diffundit. Sunt igitur *horror, pulſus velox*, et *calor* tria praecipua ſymptomata febris ab interna cauſa [q]) natae. FERNELIVS [r]) quidem et qui hunc ſequuti ſunt, vt veterum tuerentur ſententiam, horrorem ac rigorem ad febris ſymptomata eſſe referendos negant, quos tamen recentiores, cum in plurium febrium initio adſint, inter vera febrium ſymptomata recipere non dubitant. Nec tamen haec tria ſignum pathognomonicum conſtituunt, cum non in omni febris ſtadio adſint. Horror enim non niſi in ingreſſu ſeu circa acceſſionem febris obſeruari poteſt, niſi excipias eam febris ſpeciem, quam horridam ſiue algidam vocarunt veteres, in cuius omni decurſu horror aegrum excru-



q) van SWIETEN l. c. p. 6. §. 563.

r) IOANNIS FERNELII, Medicina vniuerſa. Geneuae 1679. fol. Pathol. Lib. IV. cap. I. p. 321.

ciat. [s]) Calor autem ſub finem febris, ſaepius ab ipſo ſanguinis et progreſſiuo et inteſtino motu accelerato, in variis ſpeciebus gignitur. Febricitat hinc in caloris ſtadio aeger, quanquam frigus non adſit, vti et febricitat frigoris tempore, deficiente quamuis calore. Solam itaque pulſus velocitatem in determinanda febris praeſentia attendendam eſſe cum omnibus affirmamus, quam ſi deprehendimus in aegro, nullum reſtare poteſt de febri dubium. Non enim audiendi ſunt, quibus haec ſimplicitas diſpliceat, ſi Veterum auctoritate [t]) ducti affirment, a leuioribus quoque cauſis, motu v. c. corporis, terrore, aliis, accelerari arteriarum motum; cum omnes hae cauſae, ad externas referendae, vix ad febres ex interna cauſa natas quicquam adferre poſſint. Nec et abſonum videretur, et illos febricitantes dicere, quibus ex motu vel nimis repleto ventriculo celerior eſt ſanguinis circulus. Poſſet quidem, vt OOSTERDYCK SCHACHT [u]) monet, addi illud, quod febris ſit pulſus velocior cum laeſione quarundam functionum, quod iam innuiſſe AVICENNAM [v]) conſtat; iure tamen Ill. van SWIETEN [w]) docet, non ſolum hoc ſignum variare multum pro febris varia ſpecie, ſed et ipſam pulſus celeritatem iam laeſam functionem, cordis puta, ſiſtere. Sit

s) GALENVS de febribus Lib. II. cap. 4. hanc febrem ἠπίαλον et ῥιγοπυρετὸν appellat, eamque definit. Tom. VII. p. 132. et HIPPOCRATI Epidem. I. text. 24. Φρικώδεις πυρετοὶ dicuntur, quod de his febribus intelligendum eſſe monſtrat GALEN. in comment. ſubnexo. Tom. IX. p. 25.

t) CELSVS lib. III. c. 6. p. 129. Altera, inquit, res eſt, cui credimus, calor aeque fallax. Nam hic quoque excitatur aeſtu, labore, ſomno, metu, ſollicitudine.

u) l. c. p. 5.

v) Canon. lib. IV. Tract. I. c. 1.

w) Tom. II. p. 15.

Sit ergo vnicum ac certum praeſentis febris ſignum pulſus celer, qui vtrum fortis ſit, an debilis, nil faciet ad ſignum pathognomonicum cognoſcendum. Quibus nunc praemiſſis ad horroris ſymptoma paucis diſquirendum accedo, certo perſuaſus fore, vt ex attenta ſymptomatum febris conſideratione magnum poſſit peti ad declarandam eius naturam argumentum.

## §. IV.

*Horroris definitio.*

Multum ab omnis aeui auctoribus fuit diſputatum, vtrum frigus tantum in caloris abſentia, an in peculiari quodam elemento ponendum eſſet. Omnes hunc frigoris ſenſum, vt alia multa ἀπάιδευτοι perſentiſcimus et ingratam hanc ſenſationem percipimus, quamuis veram eius definitionem nedum deſcriptionem, verbis exprimere poſſimus. Ex effectibus cognoſcimus frigus atmoſphaericum ita exacte, vt menſurari illud ad determinatos gradus thermoſcopiorum ope nos docuerit recentiorum phyſicorum, FAHRENHEITII praeſertim, induſtria: nec tamen, in quonam conſiſtat eius natura, coniectura aſſequi poſſumus. Quicquid tamen huius rei ſit, ſufficiant effectus mox declarandi ad omnia rite intelligenda phaenomena. Commode vero duplex diſtingui poteſt frigus corpora afficiens. Aliud nimirum ab ambiente aëre frigidiori corporibus contiguo producitur, aliud ab interna quadam cauſa generatur. Quo priori afficiuntur aeque mortua, ac viua corpora, vltimum autem tantum in viuis varia de cauſa varioque modo gigni poſtea demonſtrabimus. Nominari ſolet hoc frigus horror ſymptomaticus, quum ſemper morboſi quid praenuntiet; cuius cum in his pagellis vlterior diſquiſitio a nobis ſuſcipienda ſit, ad cauſas illud procreantes, et ad effectus inde pendentes reſpicien-

ſpiciendum erit, nec rigoroſius in ipſam eius eſſentiam hic inquirendum opus eſſe videtur, cum quicquid de frigoris natura ſcimus, illud tantum per effecta et attributa eius cognoſcamus, nec vlterius humani intellectus perſpicacia procedere poſſit. Frigus vero eam corporis mutationem, ſiue ab externa, ſiue ab interna cauſa producta ſit, nominamus, in qua ad ſenſum vel ad thermoſcopia calorem naturalem imminutum deprehendimus. x) Effectus autem varios huius phaenomeni in corpore affecto, vel ipſe aeger, vel et alii adſtantes percipiunt, pallorem, tremorem, artuum concuſſionem, laſſitudinem, immobilitatem et alia, de quibus eorumque cauſis in ſequentibus plura ſunt dicenda. Docte ac ſolide ea, quae de frigore proferri poſſunt, diſputata inueniuntur ab Excell. WALTHERO, y) qui argumentum hoc prorſus exhauſiſſe videtur, vt amplior hic frigoris deſcriptio ſuperflua videatur, cum et in graduum et in effectuum ſcrutinio plura adhuc ſint proferenda, quae ad intelligendam frigoris in corpore diagnoſin facere poſſint.

## §. V.

*Horroris differentia.*

Nec tamen in omnibus morbis eorumque ſtadiis ſemper ſibi ſimilis deprehenditur haec corporis affectio, ſed valde variat, et in diuturnitate ſiue duratione, et in ipſa ſua vehementia gradus obſeruantur multi, quos vel ipſa morbum efficiens mala materia, vel corporis affecti debilis diſpoſitio, vel ipſa febrium differentia deſignat, et quorum cuiuis ab auctoribus nomen ſuum tribui ſolet. Quo enim plus materiae vel

x) GORTER l. c. p. 262. §. I. van SWIETEN. l. c. p. 173.

y) In Diſſert. ſupra citata.

vel viſcidae vel acris vaſa obſtruit, eorumque lumina, lancinando parietes, coarctat, tanto diuturnior quoque ſenſus eſt frigoris; quod ſatis ſuperque conſtat in quartana fieri, cum in continuis ſaepius vix de horrore conquerantur aegroti. In ſenibus et cacochymicis corporibus longe validius effici a morbo frigus Ill. van SWIETEN [z]) aſſerit, cum contra in iuuene tertiana laborante leuem horrorem adeſſe aſſerat. Quod tamen vix ſine facta limitatione aſſumi poſſe putamus. Concedimus quidem in cacochymicis iis, quibus ſolida adhuc valida ſunt certoque robore gaudent, frigoris ſenſum validum ſatis deprehendi poſſe; at ſi iam eo proceſſerit mala humorum diſpoſitio, vt per denegatam appoſitionem ſolida ſimul corrupta ſint, et vera cachexia inducta debilitatem ſolidorum effecerit, tunc haud ſufficient vires ſuperandae reſiſtentiae, et irrita erunt naturae molimina. Quod et de ſenibus valet, quibus, ſi rigiditas, vt ſolet, eſt fibrarum, omnino maior orietur horror, nec tamen ſemper ob debilitatem ſolidarum partium id euenire poſſe nobis, auctoritate Cel. LVDWIGII, [a]) perſuademus. Et variat frigoris ſenſus in eo, quod alius externas partes, cutim prae aliis, concutiat, cum alius ſaeuire perſentiſcatur in interioribus corporis ſedibus. Sed et ipſe ſenſus, in quocunque etiam ſubiecto, et a qualicunque cauſa ſit, varius eſt in ſua vehementia atque diuerſo gradu ſeſe exſerit. Quam quidem differentiam, a priſci aeui auctoribus iam prolatam, fuſius paullo nunc declarare, et quae in veterum libris de ea diſputata exſtant, colligere, operae pretium ducimus.

§. VI.

z) l. c. p. 7.

a) Vid. Eius Inſtitutiones medicinae clinicae Lipſ. his ipſis nundinis editae. §. XXVII. p. 15.

## §. VI.

### *Gradus horroris.*

Primum et mitiſſimum gradum *Horripilatio* conſtituit, quo afficiuntur cutis nerui leuiſſime et eius tendinoſae fibrae, quoad vibratorium motum praeſtare valent, contrahuntur vaſaque ſanguifera ſtringuntur, vt cum vel ſine ſanguinis vitio ac culpa frigoris ſenſus corporis ambitum percurrat, quo tantum homo horripilet et anſerinum corium habeat. [b]) Hunc ſenſum ei ſimilem ait van SWIETEN,[c]) ſi calidum corpus ſubito frigida afflatur aura. Fruſtra hanc denominationem in monumentis veterum quaeſiueris, qui hunc gradum ψύξιν, περίψυξιν, κατάψυξιν, perfrictionem, refrigerationem, frigiditatem, frigus et algorem nominant, vt ex HIPPOCRATE, [d]) GALENO, [e]) CELSO, [f]) ſatis intelligi poteſt, et, vt PROSPER ALPINVS[g]) monſtrat, per frigoris ſenſum ſine artuum corporisue agitatione definierunt. BELLINO [h]) teſte APVLEIVS primum horripilationis nomine vſus eſt, quod nunc in omnium medicorum ſcholis ciuitate donatum deprehenditur. Alter gradus praecedente fortior *Horror* Φρίκη dicitur, et in ſpaſtica cutis commotione conſiſtit, a priori tantum diuerſus eo, quod cum aliquo partium extre-

b) WALTHERVS l. c. p. 23.

c) l. c. p. 6.

d) Haec nomina eorumque varium ſignificatum optime declarant locosque multos ex HIPPOCRATE adducunt FOESIVS l. c. et Magnif. HEBENSTREIT in Exegeſi nominum graecorum, quae morbos definiunt. Lipſ. 1751. 4to.

e) Vid. GORRAEVS l. c.

f) Lib. III. c. 2. p. 113.

g) PROSPER ALPINVS de praeſagienda vita et morte. Lugd. Bat. 1733. 4. p. 202.

h) De vrinis et pulſibus. Frf. et Lipſ. 1685. 4. pag. 554.

extremarum tremore per quoſdam inſultus ac concuſſione coniunctus obſeruetur. Quod comprobant ea, quae in variis locis adferunt modo laudati auctores, [i]) aliique noſtri aeui ſcriptores. [k]) Duo hos frigoris gradus, apto, vt nobis videtur, vocabulo Cl. NIETZKY [l]) ſpaſmum appellat periphericum, cum in cute ſola ſeſe exſerant. Ad tertium enim, quod attinet, gradum, de quo mox dicturi ſumus, cum non cutis ſolius, ſed ſubiacentium muſculorum ſit affectio, vix hocce nomine erit indigitandus. Appellatur autem tertius hic ſummus gradus *Rigor*, ῥῖγος, vbi totum corpus a violenta muſculorum neruorumque actione cum inſigni frigoris ſenſu concutitur, quaſſatur ſpaſticeque conuellitur. Caue tamen, ne hunc rigorem confundas cum eo, quem CELSVS [m]) adducit, qui tetanum ſiſtit, [n]) et ab aliis neruorum diſtentio appellatur. Ponit quidem van SWIETEN [o]) rigorem in flexilitatis defectu, quae tamen, WALTHERO [p]) docente, in hoc noſtro rigore non reſpicienda eſt. Haec breuiter diſputata optime illuſtrantur ex loco GALENI, [q]) quem hic apponere commodum nobis videtur. *In aegro-*

i) HIPPOCRATES Lib. I. de morbis, horrorem debilem rigorem appellat. GALENVS lib. II. de diff. febr. c. 8. horrorem dicit medium inter rigorem et frigus. Plura loca adferunt FOESIVS et GORRAEVS. CELSVS l. c. p. 116.

k) GORTER in Medicina Hippocratica Libr. V. Aphor. 156. pag. 448. in Compend. Medicinae p. 114. WALTHERVS diſſ. cit. pag. 8.

l) Tractatus de febribus complicatis. Halae Magd. 1753. §. II. p. 1.

m) Lib. IV. cap. III.

n) GORTER medicina Hippocratica. Libr. V. p. 467.

o) l. c. p. 21.

p) l. c. p. 23.

q) Lib. de tremore, palpitatione, conuulſione et rigore c. 6. Tom. VII. p. 209. Λέγομεν οὖν πολλάκις εἰσβολὴν παροξυσμοῦ τῷ δε μέν

*aegrotantibus*, inquit, *ſane rigere non idem videtur cum eo, quod eſt horrere ac frigere. Dicimus ſubinde acceſſionis inſultum huic ſane cum rigore, alteri cum horrore, alii cum frigiditate ſola oboriri. Et in omnibus medicorum commentariis idem verborum vſus exiſtit. Ita cum quis nulla concusſione corporis et agitatione perfrigeſcit, non hic riget, verum ſi affectus rigor appellari debeat, inaequalem et praeter voluntatem motum ei accidere oportet: quod ſine hoc accidit, ſi ne cutim quidem inaequaliter moueat*, perfrictionem *nominant: ſin autem hanc quidem perturbet, quatiatque per quosdam inſultus, corpus autem totum non commoueat*, horrorem *nominant, vt hic cutis ſolius affectus talis exiſtat, qualis totius corporis* rigor. Ex his allegatis ſatis ſuperque intelligi poſſe putamus differentiam frigoris morboſi, et qua ratione gradus hi a ſe inuicem diſtingui ſoleant. Addit quidem Cel. HAMBERGERVS [r]) adhuc quartum gradum, quem frigus appellat, cuius eſſentiam in immobilitate corporis ponit; ſed ad ſpaſmorum genera haec affectio pertinet, et vt ſupra dictum fuit, frigus tantum ille erit ſtatus, vbi extremae membrorum partes inalgeſcunt, qui ad mentem GORTERI nullam habet muſculorum contractionem.

## §. VII.

### *Horroris aetiologia.*

Dictum iam fuit ſupra, horrorem conſiſtere in caloris imminutione. Conſideremus igitur nunc cauſas, quae, vt internae, naturalem corporis calorem, imminuere vario modo

*τινι μετὰ ῥίγους, ἑτέρῳ δέ τινι μετὰ φρικῆς, ἄλλῳ δὲ μετὰ καταψύξεως μονῆς γεγονέναι. κ. τ. λ.*

r) In Diſſ. cit. p. 8. §. X.

modo possint. Ex physiologicis constat omnem in viuo corpore calorem prouenire ab attritu particularum sanguinis, vel ad se inuicem, vel et ad vasa, quibus continentur, atque adeo effici per motum tam intestinum, quam progressiuum. Testantur id innumera, quibus hic laudandis iure supersedeo, phaenomena, hoc vnum proferens, in cadauere ob plenarium motus defectum, frigus percipi, aeris ambientis temperiei proportionatum. Duplex vero cum deprehendatur frigoris sensus, alius cum leui spastica contractione, alius sine vlla, certe vix percipienda, commotione, opus videtur, vt et ad duo haec respiciamus in causa genesique horroris declaranda. Videtur vero algor seu horripilatio a vitio sanguinis, vasorumque sanguiferorum compressione produci, cum horror ac rigor simul neruos ab acri quodam irritatos manifestent. Causae autem particularum attritum minuentes, ac inde frigus procreantes, obseruantur variae. Ex vna parte laxitas, ex altera rigiditas solidorum, ipsam circulationem retardant, fluidaque ad lentorem, visciditatem et spissitudinem disponunt, cum ea non rite moueant ac subigant. Ipsa etiam fluida, ob eam, quam adsumsere, ex remotis causis, acrimoniam et corruptelam variam, solida stimulando ad spasticas contractiones, obstructionum haud raro causas, symbolam conferre possunt. Quando enim praeclusis extremorum vasorum ostiolis stagnare incipiunt in cute humores, et ea, quae a tergo est, liquidorum copia, ob positum obicem lente moueri incipit, stagnantes humores liberum ingressum fluidi neruei in neruos impediunt, vt inde cordis, primi motus instrumenti, actio vix tanta sit, quae superare possit ipsi obiectam resistentiam. Vnde intelligi potest causa formalis motus, atque adeo caloris, in corpore viuo imminuti. Horroris vero et rigoris causam delitescere in neruis, ab acri quodam vel vnoquoque ingrato irritatis, contendimus, quamuis

Exc. WALTHERVS [s]) et hos quoque interdum a ſolo ſanguinis motu debilitato oriri affirmet. Ex dictis his facile patere putamus, ſufficere ad declaranda frigoris phaenomena debilem ſanguinis circuitum, qui reſiſtentias in cute cumulatas ſuperare neutiquam valeat, nec opus eſſe, vt ad efferueſcentias ſanguinis frigidas, vel diuerſorum ſalium miſcelam, vt multi ingenioſe fabulantur, confugiamus. Plura ample ac nitide adfert de vera ac varia horrorum geneſi BELLINVS [t]) multasque eum producentes cauſas ſolide exponit; vt et legi merentur, ea, quae FIENVS [u]) in ſuo, quem omnes aeſtimant ac magni faciunt medici, libro hac de re commentatus vlterius explicauit.

## §. VIII.

*Horroris cum congeneribus ſymptomatibus comparatio.*

Quamuis vero ex antea adlatis intelligitur a ſpaſtica neruorum commotione ſenſum horroris in corpore noſtro excitari, optime tamen diſtinctus ab omnibus vere ſpaſticis morborum generibus obſeruatur. Spaſmus et conuulſio veteribus quidem in vno eodemque ſignificatu eſſe videntur, recentioribus vero mos eſt, ea ita diſtinguere, vt ſpaſmum dicant muſculorum validam et violentam contractionem, reluctante voluntate, continuam: quae autem ſi alterna fuerit, ita nimirum, vt contractus nunc inuoluntarie muſculus rurſus dimittatur, mox iterum contrahendus, tunc conuulſionem appellitent. [v]) Prius quoque genus, ſpaſmum ſtricte ſic dictum, nominant quidam conuulſionem tonicam, ſiue et tetanum

s) l. c. p. 23. §. 9.

t) l. c. p. 554. ſeqq.

u) Simiotice. L. B. 1663. p. 210. cap. VI. §. 4.

v) LVDWIG in Inſtitut. pathologiae. Lipſ. 1754. p. 84. §. 1105.

num: alterum vero conuulſionem clonicam, cuius naturae ſunt epilepſia, hyſterica paſſio et alia. Ex his breuiter dictis facile erit horrorem eiusque gradus diſtinguere a ſpaſmo, conuulſione et tremore. In ſpaſmo enim conſtans ac perpetua eſt muſculorum conſtrictio, ſiue vt CELSVS [w]) vult rigiditas, quae in conuulſione alterna ac valida ſine vllo tamen frigoris ſenſu deprehenditur; in tremore laxa membrorum concuſſio, quae tenſiua eſt in horrore: [x]) quae omnia egregie explicat GORTERVS, [y]) eorumque omnium diuerſam indolem proponit. Sunt igitur quidem ſpaſtici motus, in cute ſe exſerentes, dicendi horroris gradus, quamuis veram ſpaſmi naturam non oſtendant. Comprobat hoc docte, vt alia quaeuis, BELLINVS, [z]) *dantur*, inquit, *vlterius quaedam motuum conuulſiuorum ſpecies in vniuerſo corpore et in morbis et in ſtatu ſanitatis, quae nihil aliud ſunt, quam leuiores aut grauiores muſculorum concuſſiones, vel eorundem rarior, frequentior, debilior, validior tremor, et nomine horroris vel rigoris veniunt, et horror minus vehemens tremor eſt, rigor autem concuſſio maior.*

## §. IX.

### *Horroris effectus.*

Paucis nunc agamus, vt ad praeſagia horroris, in morborum decurſu, via pandatur facilior, de mutationibus ſiue effectibus, quos in corpore humano producere ſoleat horror. Eosdem vero omnes, quos in ſano ceteroquin corpore frigus

 gus

w) Lib. IV. c. III.

x) PROSPER ALPINVS l. c. p. 202. tremorem ita diſtinguit a rigore, vt tremor ſit vnius membri vibratio, rigor totius corporis.

y) In Med. Hipp. Lib. IV. p. 448.

z) l. c.

gus atmoſphaericum, partibus extremis contiguum, generat, etiam, ab interna cauſa ortus algor morboſus efficere deprehenditur. Vtriusque tamen eadem videtur cauſa proxima, lentor nimirum in ſanguine, ad quem igitur in declarandis horroris phaenomenis reſpiciendum eſſe ducimus. Obſeruamus vero in aegrorum, hoc ſymptomate affectorum, extremis calorem imminutum, palloremque inſignem, cum via praecluſa ſit moleculis ſanguineis in vltima vaſorum confinia meare conantibus. Efficiuntur in cute ob ſtagnantem ibi, (ſiue in oſtiolis dixeris, ſiue in glandulis ſubcutaneis, perinde erit,) humorem perſpirabilem inaequalitas, tuberculaque varia, copioſa, granum milii magnitudine aequantia, ita, vt cutis anſerino corio ſimillima appareat. A lenteſcentibus, ad acredinem vergentibus liquidis, variarum partium nerui lancinantur, vt tremor, et pro vario horroris gradu artuum concuſſio ac conuulſio oriatur, hinc loquela tremula ac balbutiens, dentium ſtridor, titubantia ac vacillantia genua, ingreſſum impedientia. Ab hac ipſa humorum ſtaſi, fluidique neruei inde impedito influxu omnium muſculorum ad agendum ineptitudo, corporis laſſitudo, pandiculatio, oſcitatio dependet: quae cauſae ſi cerebrum afficiant, ibidemque eueniant, ſomnolentiam, ſomnum, animi deliquia, ſtuporem, inſenſibilitatem, et ſi acre quidpiam ſimul adſit, deliria ſuauia et ferocia efficere valent. In dextro corde aucta venoſi ſanguinis quantitas, quae per arterias, in minimis ſuis extremis obſtructas, vlterius propelli nequit, ſummam circa praecordia anxietatem doloremque grauatiuum generat. Nec libera eſſe poteſt reſpiratio, cum ſtagnans in pulmonum vaſis maioribus et minimis ſanguinis mouendi copia anxiam eam et anheloſam reddat, ita ſaepius, vt ſuffocatio ſit metuenda. Cum praeter ea circulatorius ſanguinis motus in horroris ſtadio non rite procedat, facillimo perſpici poteſt negotio, etiam

etiam ſingulas ſecretiones turbari ac imminui, hinc ſumma humorum immeabilitas, ſitis ingens, cutis ſicca aliaque, a ſe- et excretionibus impeditis pendentia, incommoda. Si porro diutius durat horror, concretiones polypoſae ob pronam ſanguinis humani quieſcentis ad coagulum indolem efficiuntur. Solidorum quoque cohaeſio augetur, vnde rigiditas fibrarum, quid, quod mors ipſa prouenit. Qui omnes dicti effectus, vel pro horroris variis gradibus, vel ob aegri corporis conditiones, et in vehementia et in duratione, et in multitudine varii cernuntur. Nec tamen ſemper mali ominis haec ſolent eſſe phaenomena, ſed interdum vires vitae languentes excitat horror in corpore natus, atque cor ad motus ſanitati inſeruientes impellit ita, vt ſaepius febres inde oriantur, quas, vt ſupra monitum fuit, recte dixeris ſalutares, cum praeſentiſſimae ſint morborum medelae. Eleganter ac ingenioſe Magnif. HEBENSTREIT, [a]) poſt funera quoque magnus, horroris effectus ita depingit:

- - - Quando ſuis erroribus implicat aegrum,
Atque paroxyſmus, qui iam ſemel extitit, alter
Ingruit, ingentes per pallida membra dolores
Excitat atque gelu torpentes concutit artus.
Non ita bruma rigens glacialem congelat arcton.
Inferior maxilla tremit, crepitanteque dente
Ora ſonant, fractaeque ruunt e gutture voces.
Liuidus inter ea venturum nuntiat vnguis
Horrorem, poſt ſpina riget pallenteque vultu
Hoſpitis aduentum timidus praenuntiat aeger.
Sunt quoque, qui vomitu, dum frigidus ingruit horror,
Euertunt ſtomachum, ſunt, quos vertigo laceſſit.

§. X.

a) l. c. p. 50. lin. 33. ad 45.

## §. X.

*Horror ſine febre.*

Nominauimus in antecedentibus horrorem ſymptoma febrile, vt inde perſpici poſſit, nullum nos horroris ſenſum in corpore ſine ſubſecuturo calore, ſiue febri poſſe, intelligere. Nec tamen me latet eſſe aliquos, quibus non arrideat haec ſententia, quippe quam repugnare putent et experientiae et veterum auctoritati. Dantur nempe multi, quibus vel ab interna cauſa, vel ab aſſumtis alimentis poſt paſtum oriatur leuis horror, cum tamen nec aeſtus febrilis, nec vlla pulſus mutatio ſequatur; Imo ipſa haec, quae poſt paſtum obſeruetur, horripilatio ſalutaris, optimaeque ſanitatis ſignum a medicis habetur. Quod fuſius declarauit Exc. RIDIGER [b]) qui huius horroris cauſam tam in tranſitu chyli, per vaſa minima ſanguini miſceri nitentis, quam in ipſa conditione chyli ratione organorum digeſtioni dicatorum latere aſſeruit. Sunt inſuper varii horrores, in partu v. c. poſt haemorrhagias aliasue euacuationes, quos febris nulla ſequitur. GALENVS [c]) antiquiorum ſententiam, quibus ignotum fuit hoc, rigere corpora absque febri, refutare annisus, varia adfert huius rei exempla, eius modi horrorem ἀνεχθέρμετον appellans, eumque ex victus prauitate, veteribus incognitam deducit. Et ipſe HIPPOCRATES [d]) iam, ex aliorum relatione, exemplum adducit, rigoris ſine febre. FIENVS [e]) rigorem in viſcerum inflammatione obortum

b) In ſchediaſmate ſub praeſ. LVDWIGII ventilato. vid. Quaeſt. med. Decas I. Spec. V.

c) In lib. de trem. palp. conuulſ. et rig. c. 7. de ſymptomatum cauſis Lib. II. cap. 5. Lib. de inaequali intemperie. c. 8. Charter. Tom. VII.

d) Lib. I. Epidem. Comm. 3. text. 22.

e) FIENVS l. c. p. 210. Contingit aliquando ſine febre rigor: vt in inflammatione viſcerum, quae ad ſuppurationem perueniunt, cum ſcil. acrimonia puris membranas viſcerum pungit et vellicat etc.

ortum huius generis esse contendit, eiusque genesin paucis declarat. Nullo tamen modo suffecerint ea omnia ad nostram sententiam inuertendam, cum horror, a quacunque demum causa dependeat, magnam omnino cordi resistentiam efficiat, quod, cum fit, ex ipsa naturae lege validius crebriusque contrahitur, caloremque naturalem auget. Ipse enim, qui post pastum percipitur, horror febriculae est initium, quam ideo digestionis febrem dicere mos est, quamuis salutare esse hoc virium vitae negotium neutiquam negemus. Et ille, qui ab inanitione producitur horror, omnino febris induet naturam, quanquam ob summam debilitatem calor sentiri vix potest. Quae autem FIENVS adduxit, in verisimilium numero habenda non sunt, cum inflammatio sine febri nulla sit. Ne ipsi quidem experientiae consentanea videntur, quae GALENVS disputat, cum, qui a diaetae erroribus commissis nascantur, algores nunquam sine sensu caloris subsequentis fieri pro certo habeamus, quamuis lubentissime largiamur, debilem interdum esse et infirmam caloris vim, ob valde debilem ac infirmam causam. Affirmamus igitur, omnem, qui in corpore nostro oriatur, horrorem sequi aestum febrilem, quod et HIPPOCRATES f) in variis locis, testatur.

## §. XI.

*Transitus ad praesagia.*

Cum accedamus nunc, pertractatis iis, quae ad horroris historiam spectare visa sunt, ad eius in variis morbis significationem, opus omnino erit, vt, quo simus illam tractaturi ordine, breuibus hic indicemus. Dicendum enim erit primum de iis, quae horror in omnibus morborum generibus in vniuersum significare possit, tunc vero de iis, quae in singulis

f) Lib.I. de morb. c. 10. Ὅτι δὲ μετὰ τὸ ῥίγος ἀνάγκει πυρετὸν ἐπιλαβεῖν ἢ δὲ πλέω ἢ ἐλάσσω, ὧδε ἔχει. etc. ibid. c. 2. ῥίγος ἐι λάβῃ, πῦρ, ἐπιλαμβάνει. de vet. med. 29. Οὐχ', ὅισιν ἂν ῥίγος γένηται, τουτέοισιν ὀξύτατος ὁ πυρετὸς ἐκλάμπει.

gulis febrium ſpeciebus praeſagire videatur. Vt tamen et in his quaedam ſit dicendorum norma, attendendum erit in quauis febrium ſpecie ad varia eius ſtadia, et quae ſub ingreſſu, quae in ſtatu ſiue vigore, quae tandem ſub criſi accedens portendat horror, declarandum aſſertisque veterum illuſtrandum.

## §. XII.

*Horroris in genere praeſagia bona.*

Omnis horror, quicunque tandem ſit, ab interna excitatus cauſa, grauem quandam in corpore mutationem, in primis vero aeſtum maxime febrilem conſecuturum oſtendit. Quod in praecedenti §. X. iam innuiſſe videmur, vbi nullum horrorem ſine febri exoriri poſſe affirmauimus. Cum tamen non mali ſemper ominis ſit ita obortus horror, ea nunc paucis deſcribenda ſumimus, quae horror in genere, nulla certi febrium generis habita ratione, indicet, quid boni inde ſperandum, quid mali metuendum, exponentes. Optimae notae obſeruatur ex auctorum mente [g]) validus horror, qui, quamuis negandum non ſit, eundem ob magnam peſſimae materiae irritantis vel obſtruentis copiam, vehementioris paroxyſmi anteſignanum eſſe, ſimul tamen declarat validas adhuc eſſe vitae vires, tantumque fibrarum robur, vt irritatae valide ſe contrahere, eaque vi reſiſtentiam certo ſuperare poſſint. Quod ex ſupra dictis quoque patet, vbi debilis conſtitutionis homines ſenesque, ob fibrarum laxitatem non tanto affici horrore aſſeruimus, quanto excruciari ſolent vegeta iuuenum corpora. Bonus etiam dicendus erit ille horror, quem ſudor excipit, ſiue a quo corpus maxime incaleſcit, [h]) non enim ſymptomaticus erit, ſed optimae criſeos cer-

g) LVDWIGIVS l. c. §. 27.

h) PROSPER ALPINVS l. c. p. 206. Corpora probe calefieri a rigoribus bonum eſt, quia naturam firmam ac viribus potentem ſignificat.

certissimum signum. Probat illud HIPPOCRATES multis in locis, simulque et eum bonum esse affirmat, i) quem alia quaedam euacuatio, maxime si cum leuamine aegri coniuncta sit, sequitur. Duo igitur ex GALENI k) sententia optimo rigori propria videntur, primum vt a rigore corpora maxime incalescant, siue vt validus horror concutiat membra, alterum quod optima euacuatio aut purgatio eum sequatur. Optimae erunt significationis horrores, qui in diebus iudicatoriis apparent, cum signis coniuncti concoctionis. Monstrant hi materiam morbi mutatam et ad criticam eliminationem nunc adaptatam. Qui plenarie morbum soluunt, siue eum certe minuunt, ad optimorum horrorum genus omnino merentur referri, quorum profert varia exempla HIPPOCRATES, l) quae hoc assertum, quod nulla demonstratione eget, vlterius confirmant.

## §. XIII.

*Horroris in genere praesagia mala.*

Malum vero indicant morbi euentum debiles horrores, iique, quibus aut nulla aut mala euacuatio succedit, qui cum contrarii sint modo descriptis boni ominis horroribus, contrarium quoque euentum ex iis praesagiendum esse, nemo in dubium vocabit. Eadem ratione et illi, qui febrem nec tollunt, nec imminuunt, sed, vt saepius fit, potius adaugent, pro malis, ad HIPPOCRATIS m) sententiam sunt habendi. Nec desunt multi alii adhuc, qui pessimum saepe ac lethale signum praebeant: interni, in interioribus corporis locis saeuientes, perniciosi maiorisque semper periculi videntur iis,

 qui-

i) vid. aphor. 58. lib. 4. Comm. GALENI.
k) Lib. de trem. palpit. et rigore. cap. 4. et 6.
l) In Epid. Lib. I. Comm. 8. text. 22. Epid. Lib. III. Comm. II. text. 2. Lib. IV. Text. 83. aliisque in locis adfert varios aegros accedente rigore iudicatos.
m) Lib. IV. aphoris. 56.

quibus afficiuntur extrema, ſiue externa tantum corporis ſuperficies. Cum enim, vt intelligitur ex iis, quae diſputata ſunt §. VII. horror ſemper coniunctus ſit cum quadam obſtructione, facile quisque dabit, internarum partium obſtructiones, et ob teneriorem earum fabricam et nobilitatem, ſemper magis eſſe extimeſcendas exterioribus. Quem porro horrorem debilis ſequitur pulſus, vt etiam hic, quem excipit increſcens anxietas, peſſimae ſunt ſignificationis: quippe qui non ſolum maximam materiae malignae pertinaciam, nulla fere coctione ſubigendam, ſed et debiles vitae vires demonſtrant, ſummumque concretionum polypoſarum metum iniiciunt. Poſtea ſi iam debilitatum aegrum rigor aut horror occupauerit, ſemper erit metuendum, ne vires languidae, reſiſtentiae ſuperandae non ſufficientes vincantur, hinc lethales eiusmodi horrores appellat HIPPOCRATES. [n]) Periculoſus quoque iſte eſt horror, quem mala comitantur ſigna malaeue euacuationes, cum naturam a malignitate morboſae cauſae irritatam indicent, atque ideo ſymptomatici ſint, neutiquam critici, ſiue vt HIPPOCRATES et GALENVS eos nominant decretorii non decernentes, quosque lethales multis in locis appellant. Peſſimum quoque horrorem putamus eum, qui vel rigorem, vel bonam alias euacuationem ſequitur, monſtrat enim non rite euacuatam materiam, ſed plus retineri, quam quod eliminatum ſit, quod neruis inhaerens morbi diuturnitatem efficit. A rigore refrigerationem non recaleſcentem, malam HIPPOCRATES [o]) nominat: potiſſimum tamen ſudorem, vel et haemorrhagias, qui excipiunt horrores multis in locis ab HIPPOCRATE [p]) eiusque Commentatore GA-

LENO

n) Aphor. Lib. IV. aphor. 46. Ἢν ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι, θανάσιμον.

o) Prorhet. Lib. I. text. 65. αἱ ἐκ ῥίγεος καταψύξιες, μὴ ἀναθερμαινόμεναι, κακαί.

p) Aphor. Lib. VII. aph. 4. Ἐπὶ ἱδρῶτι φρίκη, οὐ χρηστόν.

LENO praui nominantur. Monſtrat tamen GORTERVS[q]) fuſe ſatis, non in genere talem horrorem eſſe malum dicendum, cum pro diuerſitate cauſarum maius vel minus malum praeſagiat, hinc interdum *non bonum* tantum eſſe declarat. Superſunt adhuc peſſimae notae horrores, qui cum ſaeuiente aeſtu interno fiunt, de quibus tamen infra aptior erit dicendi occaſio. Haec de horroris generali praeſagio diſputata ſufficiant, quae attento medico et in ſpeciali morborum examine maximi vſus erunt, indicabuntque ea, quae ſperanda, quae metuenda videantur.

## §. XIV.

### *Horror in intermittentibus.*

Reſpiciamus nunc ad intermittentium febrium genera, quae ſingulae horrorem ſecum habent, ita, vt pro vero ſigno pathognomonico earum ille aſſumi poſſit. Fit autem in ſingulis acceſſionibus ea ratione, vt ex eius acceſſu ſpeciem febris determinare valeamus. In quotidianis enim ſingulis, in tertiana alternis diebus, in quartana quarto quouis die obſeruatur. Quotiescunque itaque febris cum horrore varii gradus incipit, eſt hoc ſignum, eſſe eam intermittentem, non continuam; continuae enim non habent, ex GALENI[r]) et AVICENNAE[s]) ſententia, rigorem. Eſt nimirum hic intelligendus horror ordine quodam accedens, cum ille, qui continuas comitetur, vagus ſit nec ordinate ingrediatur, vt poſtea declarabimus. Validiſſimus praeterea eſt intermittentium horror, nec tamen in omnibus, vt patet ex iamiam prolatis, eandem exercet vehementiam. Raro autem mali quid praeſagiunt, cum malam materiam coctam ad cutim iam pro-



q) In Med. Hipp. Lib. VII. p. 790. ſeqq.

r) Lib. I. de arte curandi ad Glauconem capite 5. Τοὺς μὲν οὖν μετὰ ῥίγους εἰσβάλλοντας, οὐκ ἀπὸ τρόπου, τῶν κατὰ περίοδον ἐνοχλούντων ὑπολαβοῖς εἶναι.

s) Fen. 4. Tr. 2. c. 2.

propulſam monſtrent. Hinc HIPPOCRATES,[t]) quibus, inquit, quotidie febres ſoluuntur; et aliis in locis periodicos horrores periculo vacare affirmat.[u]) Poſſunt tamen, ſi diuturniores ſint et corpus debile afficiant omnino mortem afferre, vt monent obſeruatorum varii SYDENHAMVS,[v]) HOFFMANNVS,[w]) van SWIETEN,[x]) alii, qui, ſi quis intermittente correptus moriatur, ſub ipſo horrore eum ſuccumbere arbitrantur. Metuendi tamen ii horrores ſunt, qui in intermittentium decurſu vagi ſine ordine accedunt, quos malignos nominat HIPPOCRATES. Monſtrant enim nouam in corpore natam malignam materiem, quae cum iam debile factum ſit corpus, nunc vix coqui rite et ad eliminandum aptari poterit. Quae autem in prolato loco diſputat GALENVS de vera intermittentium inſtituenda, ex horroris vehementia, diagnoſi, vix, ſi dicendum, quod res eſt, experientiae conſentanea videntur, multisque obnoxia dubiis.

## §. XV.

*Horror in continuarum ingreſſu.*

A dictis his intermittentibus continuae ac remittentes febres diſtinguuntur, quae, quamuis exacerbentur in ſuo decurſu, nullum tamen apyrexiae tempus habent, nec vere vt priores quieſcunt. Magnus eſt earum cohors, vt qui ſingulas recenſere, ac pro earum ſpecifica diuerſitate etiam varias horroris in iisdem praedictiones examinare vellet, diſſertationis limites certiſſime excederet. Hinc generaliora tantum ad-

t) Lib. IV. aphor. 53. *Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥίγεα γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται.*

u) Lib. IV. aphor. 43.

v) THOMAE SYDENHAMI Opera vniuerſa. Lugd. Bat. 1741. 8. p. 95.

w) PETRI POTERII Opera omnia. Frf. ad Moen. 1698. 4. p. 201. in not. ad cap. 49.

x) l. c. p. 177.

admonebo, quae ad explicanda horroris accedentis praesagia spectent. Solet vero horror circa continuarum initia fere semper ingruere, nec tamen sequentes febris exacerbationes, nisi quid mali nuntiet, antecedit, sed tantum modo primam accessionem comitatur. Nec etiam tanta, vt in intermittentibus, vehementia accedit, ita, vt optimum possit horror signum praebere, num continua, num intermittens sit febris futura. Fallit quidem, quod haud negandum, et exercitatissimos interdum horroris, in primo morborum insultu, vehementia, adeo, vt omnino, quaenam febris species futura sit, subdubitent medici, cum tanto impetu circa initium afficiat aegrum, vt intermittentis mentiantur continuae febres formam, et ea ratione exploranti fucum faciant. Quod tamen semper summi periculi metum efficit, cum, si ordine omnia consueto procedant, algore tantum, nunquam horrore rigoreue incedant continuarum species. Si ergo a febris continuae initio aeger perhorrescit siue rigore afficitur, summum adest discrimen, cum semper maxima pessimae materiae malignitas hos effectus producere constet. y) Timendae, si haec eueniant, erunt viscerum seu nobiliorum partium inflammationes, quod luculenter HIPPOCRATES monstrauit, simul docens malignissimam febrem, pestem puta, summo cum horrore inuadere. Docuit igitur experientia, omnes acutas, nisi ad inflammatorias accedant, catarrhales malignas variasque alias postea explicandas exanthematicas febres horripilatione tantum oriri atque incipere, quae tamen interdum tam mitis deprehenditur, vt vix ab aegro ipso persentiscatur, quod forsan effecit, vt GALENVS ab harum febrium speciebus cunctis non solum horrorem, sed et frigus excluderet.

§. XVI.

y) Haec confirmat GALENVS in Comment. 2. in lib. II. Epid. text. 75. et in lib. VI. de locis aff. c. 4., vt et HIPP. de morbis II. c. 42. Coacar. 2. et 3. in lib. Prorhet. I.

## §. XVI.

*Horror in continuarum decurſu.*

In ipſo autem morborum eiusmodi decurſu interdum varii horrores percipiuntur, quamuis nunquam periodici, ſed tantum vagi ſymptomaticique ſint, de quibus eorumque ſignificatione nunc paucis agendum. Sunt alii eorum boni, alii mali atque exitialis ominis, in quibus determinandis reſpiciamus et cauſas, et tempora et concomitantia ſigna. Sunt vero ii plerumque pernicioſi, qui in media febri, ante ſtatum, aut ante diem criticum oriuntur, [z]) quia, cum in die non critico appareant, humores acres nondum coctos ad habitum cutaneum pulſos oſtendunt. Mali porro habendi erunt ii, quos aeſtuoſos dicit HIPPOCRATES, [a]) qui ab aliis diſtinguuntur in eo, quod emicante et ſubito diſparente aeſtu ſint ſtipati; ab aliis autem dicantur ii, in quibus exteriora algent, ſaeuiente in interioribus ſedibus ſummo aeſtu. Periculoſiſſimi hi omnium videntur, et metum gangraenae ac ſphaceli haud leuem iniiciunt. Continuos quoque in acutis rigores in genere prauos appellat HIPPOCRATES, [b]) qui inſignem debilitatem ſolidorum oſtendunt, cuius generis ſunt et illi, qui omni continuarum exacerbationi praecedunt, maximam humorum malignitatem monſtrantes. In quibus omnibus horror nunquam criticus, ſed tantum ſymptomaticus, atque adeo nunquam pro bono habendus erit. Dantur tamen et quaedam horrorum genera in diebus criticis, quae cum aliis coctionis viriumque vitae ſignis coniuncta, optimae criſeos futurae ſignum praebent. Quamuis enim HIPPOCRATES [c]) affirmat, ſemper aliquid metuendi habere rigorem

z) Lib. IV. aphor. 29., HIPP. ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἑκταίοισιν ἐοῦσι ῥίγεα γίνεται, δύκριτα.

a) Prorhet. I. 67. et aliis in locis, καυματώδεα ῥίγεα ὑπό τι ὀλέθρια, καὶ τὸ φλογῶδες ἐν προσώπῳ μεθ᾽ ἱδρῶτος, ἐν τούτοις κακὸν κ. τ. λ.

b) Coac. praen. 21. Τὰ ξυνεχέα ῥίγεα ἐν ὀξέσι, πονηρόν.

c) ὑπόφοβον ἅμα κρίσει ῥῖγος, in multis legitur locis.

rem cum crisi apparentem, tamen saepissime monstrat iam disponi ad hoc, vt expellantur per varia corporis colatoria humores. De tali horrore intelligendum erit illud Hippocraticum: [d]) *causo seu febre continua detento, si rigor superuenerit, solutio.* Erit tamen ad alia symptomata simul attendendum, si de horrore sub crisi accedente rite iudicare volueris. Monstrat quidem talis horror materiae mutationem, nec tamen semper bonam solutionem promittit. Si enim commutata fuerit mala materia in purulentam indolem, saepius euacuatio sequitur critica, qua liberatur a febri aeger: vel etiam pus illud deriuatur per metastasin ad locum alium, et format abscessum; hinc summa cura perpendenda erunt reliqua phaenomena, vt certum formari possit praesagium. Explicat haec fusius GORTERVS, [e]) quid boni, quid mali portendat talis rigor, recensens. Sed varii praesagii sunt horrores, crisin antecedentes, obseruatum enim est eos sequi, sudores, recidiuas, haemorrhagias, ischuriam, icterum, abscessus, multasque alias morbi mutationes; quin et interdum mortem ipsam praesentem ostendunt: vt adeo magna cautio adhibenda sit medico, si quid de subsecutura crisi, vel et perturbatione criseos iudicare, recteque horrores aestimare voluerit. Diutius insisterem his comprobandis ac illustrandis, cum et ipsa instituti ratio hoc postulare videatur? at actum agerem, cum cuncta, quae de his proferri possint, exhausta prorsus ac solide egregieque disputata sint a laudato supra iam BERGERO. [f]) Hinc ad febrium continuarum quandam speciem, vt plurimum horrore stipatam, accedo, exanthematicarum febrium decursum, quantum in eo horror signum praestet, consideraturus.

§. XVII.

d) Lib. IV. aphor. 58. *ὑπὸ καύσε ἐχομένῳ ῥίγεως ἐπιγενομένε, λύσις.*
e) l. c. p. 469.
f) In differt. cit.

## §. XVII.

*Horror in exanthematicis.*

Duplex potiſſimum exanthematum genus horrorem in ſuo decurſu oſtendit, variolae et purpura miliaris alba, licet et vrticata febris, ſcarlatina, morbilli horroribus ſub ſuo ingreſſu, vt continuarum mos eſt, quoque non prorſus deſtituantur. Non ſolum enim in ipſo febris varioloſae initio algores obſervari ſolent, ſed reuertuntur iidem in vtriusque generis variolarum decurſu, ſub incipiente febre ſecunda, ſuppuratoriam quam vocant; Conſtat quieſcere poſt macularum ſeu ſtigmatum eruptionem febrem per aliquot dies, vsque dum ad ſuppurationem neceſſaria oriatur inflammatio. Tunc temporis obſeruari docent Cel. Medici horrorem plus minus inſignem ab acri ad papulas in cute delato humore, nunc vlterius eliminando, qui huius ſecundae febris initium efficit. Optimae erit hic algor ſignificationis, cum vires vitae, quamuis incitatas, valide tamen reſiſtentes, commonſtret. In ipſo autem ſuppurationis ſtadio, potiſſimum in confluentibus malignis, ſi ex pure reſorpto horrores generantur, maligni quid ſemper indicabunt, et metuendas inflammationes internas eſſe haud raro monebunt, quae ex aliis ſignis v. c. deliriis, ſimul apparentibus, cognoſci poſſunt. Solet quoque interdum ſub puſtularum iam incipiente exſiccatione accedere horror, quem tamen neutiquam malum appellare poſſumus, quippe qui criſin bonam ſudoriferam, vel et diureticam, ſuperſtites adhuc morbi reliquias eliminaturam, nuntiat.

Alterum vero exanthematum genus, purpuram albam, veteribus ignotam, recentioribus maxime inuiſam, fere ſemper in ſua eruptione horror comitatur, ita, vt horripilationem in febre continua, ſexto vel ſeptimo die accedentem, pro vero ſigno praeſentis purpurae habeant Auctores. g) Quod quidem phaenomenon eo facilius oriri poſſe quilibet perſpicit, qui conſiderat

g) vid. LVDWIGII Inſt. med. clin. p. 95. §. 213.

derat insignem illam a purpura cutaneorum vasculorum stricturam. Ast in ipsis istis febribus, quae nunc late grassatae fuerunt, magnamque stragem et multa funera effecerunt, longe aliter euenit: Sine vllo enim horroris, ne mitissimo quidem, sensu in plerisque erupit, die decimo quarto ad decimum sextum vsque, purpura miliaris alba. Equidem non nego, varios perhorruisse aegros, sed vagi isti horrores, non in criticis diebus accedentes, saepe deliria, in aliis dysuriam, in aliis nullam fere morbi mutationem manifestabant. Quod tamen a summa solidorum debilitate dependere videtur, quae huic febrium malignarum generi adeo erat solemnis, vt vix irritationem seu stricturam ab acri materia stagnante excipere solida possent. Vidimus tamen etiam alio iam tempore huius rei exempla, vnum in femina triginta annorum, quae in variolis copiosis, et ferme confluentibus, die decimo, vndecimo, duodecimo morbi crebrioribus horroribus adeo vexaretur, vt purpuram instantem suspicaremur, nullam tamen morbi mutationem experta fuit; alterum in puero eadem ratione aegrotante conspeximus.

## §. XVIII.

*Horror in inflammatoriis.*

Ad inflammatorias nunc accedimus febres, quas saepius horror comitari solet, vbi negandum non est, hoc symptoma in harum febrium speciebus tantum non semper periculi esse plenissimum. Indicat vero horror interdum in aliis continuis, iis potissimum, quae intermittentium typum mentiuntur, obortus, subsequuturam febrem inflammatoriam. Maxime vero in more est rheumatismis acutis, dysenteriae acutae, anginae, peripneumoniae, pleuritidi, vtrisque veris, impetere cum horrore insigni. Et vteri inflammatio, accedente sub ipso partu horrore et horripilatione, interdum significatur; quam tamen alii vt signum foetus mortui assumunt. In ipsis autem inflammatoriis febribus, si horrores accedunt, pessimi vt plurimum depre-

henduntur ominis. Ii praecipue, qui in internis partibus percipiuntur mali dicendi, cum factam acris materiae metastasin ad interiora manifestent; quamuis enim interdum, alia si adfuerint bona signa, abscessum futurum vel materiae malignae in pus factam mutationem significent, haud raro tamen gangraenae et sphaceli metum iniiciunt. Multa in variis locis profert HIPPOCRATES [h]) de horrore, qui abscessus in certis quibusdam locis se formaturos nuntiat. In inflammatoriis veris, phreniticis potissimum, rigorem semper pessimum affirmat, crebrasque in iisdem cum perfrigerio sputationes, nigrorum vomitum annunciare dicit: [i]) quod tamen non semper exitiale erit, cum interdum cum magno leuamine illud fieri idem afferat. [k])

## §. XIX.

### *Conclusio.*

Essent nunc pertractanda vere continentium, synochorum, ardentiumque genera, quibus horror, frigidusque sudor solemnes esse solent, atque ideo in hoc specimine locum iure sibi postulant. Sed cum in nostro climate vel nunquam, vel certe rarissime occurrant, nulla mihi data fuit occasio, de eorum symptomatibus quaedam obseruandi, vt ergo de iis quicquam proferre neutiquam audeam. Pedem ergo hic figo, cum et, vlterius progredi, dissertationis limites non permittant. Spero, fore, vt, quae iam disputata, tenuiter quidem, sint, sufficiant tironibus ad intelligenda horroris in consuetis febrium speciebus generaliora signa. Gaudebo, si quid ex his in aegrorum commoda, aliorumque vtilitatem cedere possit; ceterum rogans, velint de his pagellis beniuole ac aeque iudicare rerum medicarum periti.

h) Prognost. 8. 22. 24. Coac. I. 202. 154. 178. Prorhet. I. 23. Coac. II. 256.
i) Lib. IV. aphor. 46.
k) Prorhet. I. 4. Coac. I. 147.

